

1321

D O G M A T I C I

1322

quod in area rubra Serpentes binos albos, auro coronatos, ascendentes exhibet, ad quem referam, nescio.

DLXXXVII.

U. 123 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 138. 4. currente calamo perscriptus, et, ut per *ἐπιρυγαφῶν*: *Assit principio sancta maria meo, conjicio, quondam Thomae nostri Haselbachii, est juxta clausulam in calce: Lectura capituli Firmiter de summa Trinitate et fide catholica completa in studio Heidelbergensi per venerabilem Doctorem sacre theologie Conradum de Soltow anno Domini 1388^{mo}. Ac cum ego scriptor istum librum scribendo finiui sub annis Domini 1490. Circa festum matthae apostoli et hoc in studio Vlmensi. Praemittitur igitur ipsum Capitulum Firmiter, quod est I. Decretalium Gregorii IX. et deinceps eius Expositio succedit ita in IV. Partes distributa, ut Pars quaevis materiam unius e IV. Libris Sentent. Petri Lombardi pertractet. Est enim Capitulum illud, ut notum, mere dogmaticum, unde et *Lectura* in illud inter theologica potius, quam Juris can. Scripta referenda est. Incipit vero: *Firmiter credimus &c. Fidem orthodoxam i. e. primam gloriam fidelium solidum et primum omnium virtutum immobiliter fore fundamentum auctorizans magister gentium &c. Et finit: Adimplebis me leticia cum vultu tuo, ad quam leticiam perducatur nos trinitas indiui-**

dua in secula seculorum benedicta Amen. Tum Clausula jam adlata. Novit Gesneri Bibliotheca istud Opus Autorem adpellans Zoltau. Ejus Postilla super Evangelia per totum annum memorat Staphorstius in Hist. Eccl. Hamburg. T. III. p. 380. Unde mirum e docto et diligenti Professore ignavum et illaudatum evasisse Episcopum Verdensensem, si quidem Alb. Krantzio Eccl. Hist. seu Metropol. L. XI. c. 3. edit. Basil. 1568. p. 338. fides, qui ita vixisse ait, ut homo ventri et gulae deditus accusetur, addita tristi hac Nota: idque ferunt esse Theologorum quieti insistentium. Quod si verum, certe nunquam ex animo Conradus Scientias dilexit. Doctorem Heidelbergensem fuisse, nemo citatorum novisse videtur. Patria Lunenburgensem faciunt.

II. fol. 135. *ἀνεπιρυγαφῶς* additur Expositio Orationis Dominicae, quae incipit: *Et primo sanctus Thomas de aquino dicit Pater et non dominus quia amari competit et non timeri &c. Pleraque excerpta ex Opusculo VII. Thomae edit. Rom. 1570 T. XVII. f.*

DLXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 1097 Folior. 74. 4. nitide exaratus, rubro distinctus et fronte annum scriptionis 1493. praefereus hoc Titulo miniato est: *Petri Hediportunaensis ad venerandum eruditumque Compresbyterum Joannem de Sancto Foca, de quibusdam miraculorum questionibus libellus.*
Rem